

utpote Professorem, honorem membrorum Universitatis promovere, non calumniis maculare! Tum ille: Oh! mi Professor! Sane Tu non indigne ferre poteris, si Te Linnæo multo inferiore esse publice profiter, nam hoc tibi non esse poterit ignominia. En delicatam epocham! Minime gentium! ego regero, hic in academia Havniensi non opus est, ut Linnæus, exterus, in meam humiliationem & despiciatam extollatur. Hic, ubi non Linnæus, sed ego historiam naturalem doceo, opus est, ut studiosi nostri ne quidem suspicionem accipiant, me ineptum esse ad illam scientiam tradendam. Num ego animo meo præcellentiam Linnæo tribuere velim, hoc mihi relinquendum est, sed publice officium meum a me exigit, ut nemini, in doctrinis docendis mihi demandatis, dexteritate loco cedere videar. Et Tu maxime non eris iudex huic rei competens, qui maxime ignoras, quid sciam & quid ignorem! Tum ille: Oh, ne male feras, si dicam, Te esse pigmæum respectu Linnæi. Surgo sella longa, qua cum ipso residebam, ne cogerer alapam ipsi infligere. Respondeo: Ita! sim pigmæus, sed pigmæus, qui humeris Linnæi insistit. Accedebant tum alii itineris socii. Rixam tum ille in Cramerum dirigebat. Ego vero monebam, ne cum delirante, qui demens mihi in propria domo mea insultare non dubitaret, amplius rem haberent. Referebam omnia Ministro aulico, directionem habenti, et parum aberat, quin rejectus tum ipse fuisset. Inde eius furor in me, adhuc jam Constantinopoli in Cramerum sæviens.

Ponas Te jam in meum locum, & cogites, quid Tu in tali casu egisses & dixisses. Et si tum adhuc iudicas, Te jure in me irasci posse, hoc Tuo iudicio relinquere debeo. Ille quidem Forskål disseminavit, quasi ille nonnisi defendendo Linnæum talia despiciosa verba opposuerit; quasi ego quidem autor rixæ & insultans Linnæum ad defensionem eius provocassem; Cum tamen ne quidem de defensione mea contra ipsius iniquas comparationes & calumnias cogitassem, nisi is demens me maxime coram irritasset. Sentiat enim quisque de Tua præcellentia et mea ineptitudine in H. N. quicquid ipsi placuerit; hoc liberum esto. Nemo tamen hoc bene ferre cogitur, si quis talem humiliationem mihi in faciem